

quia iusta de causa proveniente ex alterius culpa v. g. fornicatione, resistit, teneri hunc etiam resiliens in expensas. Ratio est; quia innocens tunc non liberetur, sed coactè ad evitandam infamiam, aut aliud damnum resistit, cuius causam iniquam pars altera posuit; consequenter sicut qui iniuste resistit, seu Sponsalia iniuste solvit, tenetur alteri in expensas; sic qui iniuste causat, quod alter resiliere debeat, ad idem tenetur.

323 Resp. II. Qui ex iusta causa resistit, non tenetur alteri ad illas expensas, et si causa abique ulla huius vel alterius culpa eveniat; puta, quia Sponsus v. g. ingreditur Religionem; vel quia alter abfque culpa, injuriâ belli v. g. venit ad paupertatem, aut amittit membrum &c. Bosco loc. cit. Concl. 14. Sanchez loc. cit. num. 33. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 33. n. 2. Ledesma de Matrimonio. q. 47. a. 5. sub. 2. & alii. Ratio est; quia iuste resiliens non tenetur ad expensas ratione rei acceptæ, cum, uti supponitur, nihil acceperit: nec ratione damni iniuste illati; quia iuste resiliendo utitur iure suo, consequenter iniuste non nocet, nec alteri infert injuriam, arg. L. 55. ff. de Reg. Jur. Nec ratione naturæ contractûs; quia nuptiam cautum reperitur in Jure, quod iuste resiliens à Sponsalibus teneatur ad aliquas expensas. Quin potius natura huius contractûs de Jure talis est, ut quævis pars contrahentium emergente causâ possit licitè resiliere; quare sibi imputare debet, si quæ pars intereâ expensas facit, aut periculo damni se exponit, præsertim cum utriusque partis sit æqualis conditio; nam quævis pro libitu resiliere potest, si iusta emergat causa.

324 Obijciunt aliqui contra hanc Conclusionem I. Si pecuniam s. ff. de Condit. causâ datâ. ubi habetur, quod dans pecuniam alicui, ut iret Capuam, altero nondum profecto pœnitere quidem ac resiliere possit, ita tamen ut teneatur solvere expensas, si quas propterea fecit profecturus: ergo etiam quamvis aliquis iuste ac licitè, sine culpa tamen alterius, à Sponsalibus resiliere possit, debet huic solvere expensas, si quas propterea fecit, præsertim, quia non est ferendus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. L. un. ff. pro secundo, in fine. C. de Caduc. toll. Nam qui sensit onus, sentire debet & commodum, & e contra, c. 55. de Reg. Jur. in 6. consequenter si resiliendo quis commodum sentit, sentire debet & onus in solvendis expensis.

Resp. negando consequentem, & paritatem inter casum nostrum, & eum qui in l. Pecuniam ponitur; quia in hoc non est æqualis contrahentium conditio, uti est in casu Sponsalium; qui enim alteri pecuniam, ut iret, dedit, potest pœnitere, alter vero, qui pecuniam accepit, pœnitere non valet, sed cogi potest, ut erat, prout notat Glossa ibid. 7. Sed cum. In Sponsalibus autem quis Sponsorum iustè emergente causâ resiliere potest. Accedit, quod citato in casu l. Pecuniam addit specialis Juris dispositio, secus autem in casu Sponsalium.

§. IX.

De Matrimonio metu, aut per errorem, vel dolo contracto.

S U M M A R I U M.

- 325 Metu gravi initum Matrimonium est ipso Jure nullum.
- 326 Si incutitur à causa libera, ab homine nempe.
- 327 Sive sit ipso nubere volens, sive alius.
- 328 Dummodò incutitur in ordine ad extorquendum

dum Matrimonium.

- 329 Injuse.
- 330 Levis metus qualitercumque incussus non irritat Matrimonium.
- Metus levis non habetur pro metu. Ibid.
- 331 Levis metus, vel gravis quando censetur?
- 332 Metus reverentialis an irritet Matrimonium?
- 333 Matrimonium ex metu invalidum, validatur per subsequentem copulam spontè habitam.
- 334 Secus per copulam metu extortam.
- 335 Solvitur objectio ex Jure.
- 336 Item validatur per spontaneam cohabitationem.
- 337 Ad quam tamen requiritur I. ut pars metum passa priùs sciat, Matrimonium fuisse nullum.
- 338 II. Ut copula, vel habitatio ex parte ejus sit spontanea.
- 339 III. Ac habitatio sit diuturna quoad Forum externum.

Tempus requisitum à Jure non determinatum, Judicis arbitrio determinatur. Ibid.

- 340 In Foro interno nulla requiritur duratio.
- 341 Tum copula quàm cohabitatio in Foro externo præsumitur affectu maritali habita.
- 342 Error quadruplex.
- 343 Error qualitates subinde redundat in personam: & quando?
- 344 Matrimonium ex errore circa personam est nullum.
- 345 Non item ex errore circa qualitatem, aut fortunam.
- 346 Nisi talis error redundaret in personam.
- 347 Aut similis qualitas esset deducta in conditionem.
- 348 In Foro externo non creditur, nisi probetur, qualitatem esse deductam in conditionem.
- 349 In Foro interno autem requiritur, ut habueris actualem, aut virtualem mentionem non contrahendi, nisi existente, vel absente tali qualitate: Nec sufficit intentio habitualis.
- 350 Solvitur objectio.

Secunda Rubricæ hujus Tituli pars est de Matrimonio: de quo ampla quidem examinanda occurreret materia. Verum quia, uti ab initio hujus Tituli jam meminimus, totus hic Liber quartus, ejusque Tituli omnes viginti unum numero de Matrimonio tractant, ac insuper Theologi de eodem fusiùs scribunt; hinc in præfati Titulo paucis de Matrimonio adductis, ea, quæ pro Foro externo ferviunt, & ad Canonistas spectant, in subsequentibus Titulis examinabimus, ea verò, quæ Theologis magis propria sunt, iis relinquemus.

Queritur I. An Matrimonium metu initum sit 325 validum? Ante responsum, notandum, Metum alium esse levem, alium gravem, alium iustè, alium iniuste, alium ab intrinseco, alium ab extrinseco incussum. Quæ omnia sicut & naturam Metus hic supponimus ex dictis Lib. I. Tit. XL. De his, quæ vi metusve causâ sum. H. N.

Resp. ergo I. Matrimonium initum gravi metu cadente in viram constantem à causa libera in ordine ad extorquendum illud iniuste incusso, est ipso Jure nullum & invalidum. Sanchez lib. 4. Disp. 12. n. 18. D. Thom. in 4. Disp. 29. q. un. a. 3. & ibi D. Bonavent. q. 1. num. 5. Scotus in 4. q. un. §. un. & teste Sanch. DD. utriusque Juris, cum communi & certa T. T. arg. c. Cum locum. & c. Veniens. 15. h. t. junctâ Glossâ ibid. 7. Virum. Ratio est; quia cum Matrimonium semel validum non amplius sit dissolubile, c. un. de Voto. in 6. & Concilio Tridentino Sess. 24. de Sacramento Matrimonii, pleni

pleni debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de iniuriis nuptiis solet provenire, prout dicitur. cit. c. Cum locum. 14. h. t.

326 Dicitur autem notanter primo, si à Causa libera, id est ab homine; quia, si à causa naturali, vel ab intrinseco proveniat timor gravis, v. g. mortis incendiû, aut alterius jacturæ gravissimæ bonorum, infamiae, & eo timore percussus quis Matrimonium contrahit, validum est juxta communem, & certam, Sanchez lib. 4. Disp. 12. n. 3. Ratio est, quia tunc non impellitur homo ab homine, sed à seipso, qui Matrimonium nemine urgente voluntariè eligit, ad evadendum periculum corporis, fortunæ, famæ, aut animæ. Inferitur proin, Matrimonium illud esse validum, quod quis init, quia timet, ne aliàs ob humoris abundantiam moriatur.

327 Cæterum non refert, an timor gravis à tali, qui Matrimonium conjugii cupit, an verò ab alio homine, v. g. illius parente, fratre, consanguineo, amico, vel quocunque tandem incutitur. Sanchez loc. cit. n. 19. Pithing h. t. n. 101. cum communi, arg. c. Veniens. 15. h. t. Ratio est: tum quia Jura non tam in odium iniuste incutientis timorem, quàm in favorem libertatis Matrimonii nullitatem ipsam statuerunt, arg. c. Cum locum. 14. h. t. quæ libertas æquè læditur sive ab ipso cupiente nubere, sive ab alio metu gravis incutiat. Tum quia metus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus, sufficit ad irritandum Matrimonium, ut cum Covarruvia, Navarro, & communi docet Sanchez lib. 4. Disp. 6. n. 2. Atque contractus alii rescindi possunt, per quemcumque metus inferatur, arg. l. Si cum exceptione. 14. §. in hac actione. ff. De eo, quod metus causâ, & amplius docet Sanchez lib. 4. Disp. 8. n. 7.

328 Dicitur secundo. In ordine ad extorquendum Matrimonium: quia, si non ad hunc, sed ad alium finem metus etiam gravis & iniuste incutitur, validum est Matrimonium, quod ex illo contrahitur. Sanchez lib. 4. Disp. 12. n. 3. dicens, esse certissimam apud omnes, Innocentium in c. Cum locum. h. t. n. 2. Butrius in c. Cum locum. h. t. n. 11. & ibi Præpositus n. 12. Abbas n. 9. cum communissima aliorum, arg. c. Cum locum. & c. Veniens. h. t. ubi non nisi ille metus allegatur, qui in ordine ad extorquendum Matrimonium iniuste incutitur. Ratio est: tum quia uti num. 326. jam dictum, in tali casu nullus ab ipso exigit Matrimonium, sed ipsemet timens voluntariè illud eligit ad evitandum malum, quod timet. Tum quia contraria opinio neutiquam certa, sed summè dubia est: in dubio autem standum est pro valore Matrimonii ob specialem ejus favorem arg. c. fin. de Sentent. & re judicat. & c. fin. de Condit. apposi. ergo.

329 Dicitur tertio. Injuse incusso; est enim metus à causa libera, & in ordine ad extorquendum Matrimonium incutitur, si tamen id non iniuste, sed iuste ac legitime fit à Judice Ecclesiastico. v. g. Excommunicationem alioque minitante, nisi Matrimonium contrahat cum tali, cui illud reverè promissit, omninò valebit Matrimonium tali metu initum. Sanchez loc. cit. Disp. 13. n. 3. Abbas in c. Veniens. h. t. n. 8. & ibi Ancharanus n. 6. cum communi & certa aliorum, per Jura n. 152. citata & l. Continet. 3. §. 1. ff. Quod metus causâ. Ratio est: tum quia iustus metus non tam à Judice, aut alio homine, quàm ab ipso incutitur jure aut Lege volente, ut in certis casibus & circumstantiis sub minis & penis obligati ad Matrimonium adigantur. Tum quia Jura non cuncta irritant Matrimonia metu inita, sed metu iniuste incusso inita; non obstante, Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

quod etiam per hunc minuatur libertas; quandoquidem sive iuste sive iniuste minuitur: sicut à pari licet aliàs contractus alii metu celebrati rescindi valeant, per dicta supra n. 327. tamen si metus iuste incutitur, rescissionem contractûs Jura non permittunt, arg. l. Continet, & l. Mulier. ff. Quod metus causâ.

Resp. II. Matrimonium metu levi est iniuste, 330 & ad extorquendum illud incusso contractum valet, Sanchez lib. 4. Disp. 17. n. 3. Covarruvias de Sponsal. p. 1. cap. 3. §. 4. Abbas in c. Consultationi, h. t. n. 4. Menochius de Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 4. n. 3. Bosco p. 5. Disp. 11. §. 7. Concl. 7. cum communi, arg. c. Veniens. & c. Consultationi. 28. h. t. ubi requiritur, quod metus sit talis, qui cadere possit in virum constantem, gravis nempe; ergo à sensu contrario; uti metus talis non est, sed levis tantum, Matrimonium valebit. Ratio est: tum quia metus levis non est metus, l. Nec timorem. ff. de Eo, quod metus causâ, & l. Vani 184. ff. de Reg. Jur. Tum quia aliàs plurima Matrimonia vel essent nulla, vel dubia, & non paucis anxietatis subjecta; cum plurima ex levi metu fiant. Confirmatur à simili in Professione Religiosa, quæ quoad indissolubilitatem Matrimonio similis, solo metu levi non irritatur, arg. c. 1. 2. & penult. De his, quæ vi metusve causâ.

Quandonam autem metus censendus sit gravis, 331 & quando levis, Judicis arbitrio decidendum relinquitur, nisi in Jure expressum quid habeatur, arg. L. 3. ff. Ex quibus causis, ibi: Sed non sufficit, quolibet terrore adductum fuisse; sed hujus rei disquisitio Judicis est.

Num verò, & quando metus reverentialis erga 332 patentes causet metum gravem cadentem in virum constantem, vide dicta Lib. III. Tit. XXXI. de Reg. §. 6. à n. 163. ubi uberius declaratum habetur, quandonam talis metus sufficiat ad invalidandum Professionem. A Matrimonio enim Spirituali, utpote etiam insolubili arg. c. Cum ad Monasterium de Regular. in 6. valet argumentum ad Matrimonium carnale per vulgaria.

Queritur II. An Matrimonium metu gravi iniuste 333 incusso initum, consequenter nullum, validetur per subsequentem copulam, vel cohabitationem? Resp. I. Si post Matrimonium metu iniusto extortum sequitur copula spontè, affectuque maritali (id est, animo conjugialiter vivendi) omninò validatur Matrimonium. Sanchez lib. 4. Disp. 18. num. 2. Bosco loc. cit. Concl. 10. n. 483. Abbas in c. Consultationi, h. t. n. 7. & ibi Glossa communiter recepta, arg. c. Ad id. & cit. c. Consultationi. 27. h. t. ubi dicitur, quod, si mulier ante copulam admittam obijcit metum, audienda sit; ergo post illam admittam audienda non est. Et clariss. c. Insuper. 4. Qui Matrimonium accusare, ubi Summarium sic habet: Invita desponsata, postea spontè cognita, contra Matrimonium non auditur. Ratio est, quia per talem copulam sufficienter exprimitur consensus, arg. cit. c. Insuper ibi: Consensus ex ratihabitione.

Resp. II. Si copula carnalis non spontè ac li 334 berè, sed ex metu gravi subsequitur, Matrimonium non validatur, Sanchez loc. cit. n. 15. Bosco loc. cit. Abbas loc. cit. Sylvestr. 7. Matrim. 8. q. 11. dicto 5. Navarrus cap. 22. n. 51. ad finem, cum communiori aliorum. Ratio est; quia deest spontaneus à metu gravi liber consensus, arg. c. Veniens. il. 2. & c. cum locum de Sponsal. si enim expressus consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem Matrimonii omninò requisitum, arg. c. Veniens. il. 2. & c. cum locum de Sponsal. si enim expressus consensus metu pari extorquetur metu, arg. à majori ad minus, quod l.

valet in Jure per vulgaria. 335 Obijciunt Adversarij c. 2. de Eo qui duxit in Matrimonium, c. Insuper. 4. qui Matrimonium accusar. & c. Ex literis. de Desponsat. Impub. ubi absolute statui videtur, post copulam subsecutam nullum amplius esse audiendum. Resp. allegatas Juris dispositiones vel expresse loqui de spontanea copula affectu maritali habitâ, vel de eadem intelligendas esse ob rationem num. preced. allegatam. Ordinariè tamen in Foro externo præsumitur, copulam habitam esse sponè & affectu maritali, nisi contrarium probetur, arg. c. Is qui fidem. 30. h. t.

336 Resp. III. Matrimonium ratione metûs invalidum evadit etiam validum per spontaneam cohabitacionem, Sanchez lib. 4. Disp. 18. n. 3. Barbosa in c. Ad id. 2. h. t. & ibi Abbas, Innocentius, Joan. Andreas, ac DD. communiter, arg. cit. c. Ad id. h. t. Ratio ibid. additur, quia nempe sponè ita cohabitans, affectu conjugal cohabitare, sicque consentire censetur, ibi: Quia postmodum per annum & dimidium cohabitans consensisse videtur.

337 Resp. IV. Ad hoc, ut per copulam, vel cohabitacionem Matrimonium ratione metûs invalidum ratificetur, requiritur I. ut pars metum passa sciat, Matrimonium fuisse nullum. Sanchez loc. cit. n. 5. & amplius lib. 2. Disp. 34. n. 2. ac Disp. 36. n. 2. Sylvester v. Matrimonium. 5. q. 10. Navarrus cap. 22. n. 76. Pirhing h. t. n. 113. & alii. Ratio est; quia nihil tam contrarium consensui, quam error, l. Si per errorem. ff. de Jurisd. omn. Judic. qui hinc revera intervenit, dum pars metum passa putat se validè in Matrimonio jam existere, & propterea carnaliter copulatur, ac cohabitatur, id forsitan non factura, si sciret, aut scivisset Matrimonium invalidum esse. Quomodo autem nihilominus tale Matrimonium ratificari possit, dicemus infra in Appendice.

338 II. Requiritur, ut copula, vel cohabitatio sit spontanea, Sanchez loc. cit. n. 7. & n. 12. Mascardus de Probat. Concl. 153. n. 36. Bosco loc. cit. Disp. 11. sect. 7. Concl. 10. Pirhing loc. cit. cum communi. Et quidem de copula jam patet ex dictis num. 334. De cohabitacione autem eadem, quæ de copula, ratio est, videlicet, quòd, quando cohabitatio spontanea non est, liber consensus ad Matrimonium requisitus desit, etiamsi talis cohabitatio longo tempore duret, Sanchez loc. cit. num. 7. & alii ab eodem ibi relati, arg. c. Non firmatur. de Reg. Jur. in 6. Censetur autem esse spontanea, si cessante causâ metûs sponè adhuc cohabitatur, dum fugere, ac discedere, aut reclamare commodè potuisset. Quando enim metus adhuc durat, aut cessavit quidem, metum passâ pars tamen fugere, ac reclamare commodè non potuit, spontanea non erit, Sanchez loc. cit. cum communi, arg. c. 1. de iis, que vi metusque causâ, & ibi Abbas, Hostiensis, & Innocentius.

339 III. Requiritur, ut cohabitatio, si sola absque copula est, sit diuturna, ita ut secundum prudens Judicis arbitrium meritò desumi possit, eam effectu conjugal fuisse continuatam. Sanchez loc. cit. n. 6. Pirhing h. t. n. 113. Abbas in c. Ad id. 2. h. t. n. 4. & alii communiter. Ratio est; quia quancumque tempus requisitum non determinatur à Jure, arbitrio Judicis determinandum relinquatur, arg. c. De causis. 4. de Offic. Delegat. & L. 1. ff. de Jur. de liber. ibi: Cum dicitur tempus, nec adjicitur diem, sine dubio ostendit esse in Jus dicentis potestate, quem aiem prescriuat. Nec obest cit. c. 21. Ad id. h. t. ubi omnis cum dimidio requiri videtur. Nam contra est, quòd ibid. tantum naretur species facti, & non fiat dispositio Juris; prout DD. communiter observant, & patet legenti textum.

340 Imò in Foro interno penitus nulla requiritur

diuturnitas, sed sufficit cohabitatio momentanea, vel copula, si animo verè conjugal fuit habitâ, Bosco p. 5. Disp. 11. sect. 7. Concl. 10. n. 484 ad finem, Sanchez, & alii communiter. Ratio est; quia diuturnitas tantum requiritur ad prudenter præsumendum in Foro externo, quod de internis non cognoscit, nec judicat, per vulgaria. Sicut econtra in eodem Foro nullum erit Matrimonium, etsi cohabitatio aliquot annorum, & copula multiplicata fuerit, si animo conjugal facta non est: Doctores citati. Ratio est, quia in Foro externo præsumptio cedit veritati, etsi absconditæ, à parte rei tamen verè existentis, arg. Cum de debito ff. de Probat. cum concord. Nec firmatur solo tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit, c. Non firmatur 18. de R. J. in 6.

Cæterum tam copula, quam cohabitatio diuturna, affectu conjugal habita in Foro externo præsumitur, ita ut contrarium asserenti incumbat probatio juxta dicta supra arg. c. Is, qui fidem. 30. h. t. & c. Ad id. 21. eod.

341 Quæritur III. An, & quando validum, aut invalidum sit Matrimonium ex errore, aut dolo contractum? Anre responsonem notandum ex cau. 29. q. 1. quadruplicem esse errorem, persone videlicet: conditionis, qualitat, & fortunæ Error persone est; & contingit, quando quis errat circa personam, putando, se contrahere cum hac, & est alia: prout contigit Jacob, qui putans, se contrahere cum Rachele, contraxit cum Lia, loco illius suppositâ Genes. 19. Error conditionis est; quo quis putat se contrahere cum libera, & est serva. Error qualitat, qui contingit circa qualitates persone, ut si quæ putatur esse pulchra, bona, nobilis, virgo, & est deformis, maliuosa, ignobilis, corrupta. Error fortunæ est, dum quis putat, se contrahere cum divite, vel plura media habente, qui est pauper, aut non ita, ut credebatur, dives; qui error ad Errorem qualitat, ab aliis non immerito reducitur.

Porro Error qualitat, subinde talis est, ut etiam redundet in errorem persone; & tunc contingit, quando error vel veritatur circa personam aliâs ignotæ talem qualitatem, quæ est omninò singularis, certum individuum denotans: ut si quis contemtat contrahere cum primogenita, & dein adducitur secundogenita: vel cum qualitas aliqua est unicus finis Matrimonii, ita ut hoc unice tanquam medium assumatur ad obtinendam illam qualitatem tanquam finem; quâ qualitate prædicta aliqua persona creditur, vel talem ipsa se fingit. Plura de hoc errore vide apud Sanchez lib. 7. Disp. 18. Bosco p. 5. Disp. 11. sect. 7. Concl. 2. H. N.

Resp. I. Matrimonium ex errore circa personam contractum est nullum. Unanimis & certa, claris Juribus, cit. caus. 29. q. 1. ibi: Error persone consensum conjugii non admittit. Ratio est; quia errantis nullus est consensus, arg. L. 8. & 9. C. de Jur. & fact. ignor. ubi autem adest consensus, non adest Matrimonium, can. Sufficiat. caus. 27. & c. Cum locum. 25. h. t. cum nuptias non concubitus. sed consensus faciat, l. Nuptias. 20. ff. de Reg. Jur. Hinc ab omnibus Error persone numeratur inter impedimenta dirimentia.

De Errore conditionis dicemus infra Tit. de Conjugio fervorum.

Resp. II. Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem, aut fortunam (etiam si ex dolo aut simulatione alterius proveniat, & det causam contrahenti) validum est; nisi error redundaret in personam, aut talis qualitas esset actu vel virtute internè vel externè in conditione m deducta, Abbas in c. Cum dilectus. De iis, que vi metusque causâ, num. 13. & ibi Glossa v. Ad fatuam. Sanchez lib.

lib. 7. Disp. 18. Bosco loc. cit. Guttierrez de Matrim. cap. 89. Layman lib. 5. tr. 10. p. 4. cap. 2. cum communi aliorum, arg. c. Ad Apostolicam. 18. h. t. & caus. 29. q. 2. ibi: Non dicitur error consensum evacuat &c. & ad finem: Qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam, aut virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere. Ratio est: tum quia talis error non est circa substantiam, personam nempe seu corpus, quod matuo consensu ad invicem traditur, sed tantum circa accidentia, quæ in ordine ad valorem non attenduntur per Jura citata. Tum quia, si error circa qualitatem invalidaret Matrimonium, plurima Matrimonia dissolvi deberent, vel saltem impugnantur maximo cum damno tam prolium quam conjugum, ipsiusque Reipublicæ. Tum quia ita habet universalis praxis & consuetudo Tribunalium, quæ est optima Legum interpret. c. Cum dilectus. de Consecrura.

Intertur, validum esse Matrimonium, quòd cum Caja contrahit Titius putans, vel falso asserenti credens, eam esse sanam, vel virginem, vel divitem, aut virtuosam, cum tamen esset infirma, corrupta, pauper, aut vitiiis dedita: etiamsi talis falsa persuasio fuerit causa, quòd eam duxerit, non ducturus; si contrarium scivisset.

346 Dicitur autem, notanter, nisi error etiam redundet in personam, quia tunc Matrimonium invalidum quoque foret ex defectu consentis, utpote qui non ferebatur in personam, nisi prædictam qualitate illâ speciali intentâ; prout DD. num. preced. citati, & alii communiter observant. De quo errore vide dicta num. 343.

347 Dicitur ulterius, Nisi talis qualitas actualiter, vel virtualiter, internè vel externè in conditionem esset deducta, ut si quis internè ita cogitaret, aut externè diceret: Si es virgo, aut dives &c. volo, seu intendo tecum contrahere, aliâs non; quia etiam tunc error circa qualitatem Matrimonium invalidaret, possetque errore deceptus alteram partem iterum dimittere. Sanchez loc. cit. Bosco loc. cit. Guttierrez loc. cit. n. 6. Layman loc. cit. S. Bonaventura in 4. dist. 30. in Expositione literæ. n. 4. & teste Sanchez loc. cit. num. 21. Omnes alii. Ratio est; quia omnis contractus sub conditione honesta de præsentibus inus conditione non subsistente nullus est, l. Cum ad præsens. 37. ff. de Rebus credit. & l. Cum in secundo. 16. prin. ff. de Injuria vaptu.

348 Et quamvis in Foro externo non credatur, nisi probet, quòd non aliter, quam sub conditione talis qualitat, intenderit contrahere; nihilominus in Foro interno invalidum erit tale Matrimonium, si desiderata illa qualitas non existit, ita DD. præfati: ut proin à copula abstinere debeat, ac discedere possit, nisi velit consensu absoluto Matrimonium ratificare: ut in multis casibus tenetur, si nempe absque gravi præjudicio conjugis, aut prolium jam suscepturam discedere nequit, præsertim, si conjux desideratâ qualitate carens dolum non fecit.

349 Cæterum ut ex defectu hujusmodi qualitat, Matrimonium sit nullum, requiritur, quòd contrahens talem voluntatem aut intentionem conditionatam actualem, vel saltem virtualem habeat: Nimirum, ut vel tunc, quando contrahit, actu habeat illam intentionem non contrahendi, nisi hanc qualitatem habeat: vel saltem prius eam intentionem ac tu habuerit, & per actum contrarium nondum revocaverit; sed virtute, seu virtualiter adhuc retineat: sola enim habitualis intentio ad propositum non sufficeret. Sanchez loc. cit. numer. 21. Guttierrez loc. cit. num. 6. cum communi aliorum, qui per intentionem habitualem ad præsens nihil aliud Reiffensuel Jus Can. Tom. IV.

intelligunt, quàm contrahentis dispositionem, quâ in animo ita dispositus est, quòd, si sciret comparatè hâc qualitate, quam inesse putat, vel audit, carere, vel aliquâ qualitate, quam abesse putat, vel audire affectam esse, cum illa non contraheret. Et Ratio hujus limitationis patet ex dictis n. 345. ubi docuimus, Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem dante causam contractui (ita nempe, ut ob eam quis contraxerit, non contracturus, si contrarium sciret) esse validum atque adductis plurimis aliis Doctores latè probat Sanchez lib. 7. Disp. 18. a. n. 17.

Obijciens contra dicta numer. preced. & contrâ conclusionem num. 345. posita. Spontalia, & alii contractus ex errore vel dolo circa qualitatem dante causam contractui sunt Jure nulli, vel saltem rescissioni obnoxii. l. Eleganter 7. p. ff. de Dolo, & l. Si dolo. 5. C. de Rescind. vendit. ergo idem erit de Matrimonio. Confirmatur, Matrimonium gravi meo injustè inculto est nullum, quia metus talis obstat perfectò voluntario ad Matrimonium requisito, juxta dicta num. 325. ergo etiam Matrimonium initum ex errore, vel dolo, cum hic æquè ac metus minuire videatur perfectum voluntarium. Resp. transmissio Ant. negando Consequenti, & paritatem. Disparitas est, quòd de aliis contractibus habeatur foecialis Juris dispositio, non item de Matrimonio. Accedit, quòd longè alia ratio occurrit in Matrimoniali contractui; hic enim, si ob errorem aut dolum circa qualitatem nullus esset, plurima Matrimonia dubia forent, & omnia litibus aut actionibus involverentur, plurimaque sequerentur absurda maximo cum scandalo, & damno tum privatorum, tum Reipublicæ: ad quod evitandum Jura teste consuetudine, & praxi optimâ Legum interprete, meritò aliter de Matrimonio, aliter de reliquis contractibus dispositio censetur; præsertim cum absurdum in omnibus dispositionibus sit vitandum, arg. l. Nam absurdum. ff. de Bonis libert. & c. In Genes. de Elect.

Ad confirmationem dico; etiam inter metum & errorem, aut dolum esse latum di crimen: tum quia metus facilis profatur, quàm error aut dolum; consequentes tantæ difficultates, & pericula non causantur, etsi ex metu Matrimonia inita nulla sint. Tum quia metus minuit voluntarium etiam circa ipsam personam, non sic error circa qualitatem. Castro Palao de Sponjal. Disp. 4. punc. 4. n. 4. Layman loc. cit. n. 2.

S. X.

De Impedimentis Matrimonii, & de Dispensatione eorum: Item de Convalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalidè contracti, à potiori remissivè; In specie tamen de Disparitate cultûs, seu de Matrimonio Catholicorum cum infidelibus contracto.

S U M M A R I U M.

- 351 Impedimenta impediencia de Jure antiquo.
352 Et de Jure novo.
353 Impedimenta dirimentia enumerantur.
354 De quorum singulis, ubi agatur, ostenditur.
355 Ob Impedimentum disparitatis cultûs, fideles nec licite, nec validè contrahunt Matrimonium cum infideli.
356 Nisi Papa, prout potest, dispense.
357 Cum hereticis tamen validè etiam absque dispensatione contrahunt: dummodò ritu Catholico.

- 354 contrahatur. Et num. 359.
- 358 Solvitur obiectio. Et num. seq.
- 360 Illicitum tamen est Matrimonium Catholici cum hæretico.
- 361 Et quidem mortaliter.
- 362 Et Catholicus puet, apud se non esse perverſionis periculum.
- 363 Nisi hæreticus promittat, quodd post Matrimonium contractum fieri vellet catholicus.
- 364 Et causa iusta subsit, cur abjuratorem hæresis usque ad contractum Matrimonium differat.
- 365 Debet autem esse vera promissio, nec sufficit spes conversionis.
- 366 Juxta aliquos Matrimonium Catholici cum hæretico licitum est in locis, ubi hæretici, & Catholici permixti vivunt.
- 367 Que doctrina in praxi minimè procedit.
- 368 Ratio h. jus præcipua.
- 369 Hinc semper eidem vestendum.
- 370 Doctrina practica.
- 371 Corollarium practicum, quandonam licitum, aut illicitum sit Matrimonium Catholici cum hæretico?
- 372 De impedimento raptus quid statuerit Tridentinum?
- 373 Raptus quid? Requiritur ad eum violentia physica, vel moralis.
- 374 Ipsi raptus illata: non sufficit eam inferre parentibus.
- 375 Circa quamvis faminam etiam meretricem fieri potest Raptus.
- 376 Non autem circa virum.
- 377 Raptus ut sit, fieri debet in ordine ad contrahendum Matrimonium.
- 378 Raptus impedimentum quando cesset?
- 379 Raptus pœna.
- 380 De Dispensatione Impedimentorum. Remissivè.
- 381 De Convalidatione, seu Ratificatione Matrimonii nulliter contracti. Remissivè.

351 **S**uppono ex Theologia, Impedimenta Matrimonii alia esse impedientia tantum, id est, que solummodo impediunt, quod licitè contrahi nequeat Matrimonium, minimè tamen faciunt, quin validè contrahatur, & contractum subsistat. Alia verò esse dirimentia, seu talia, que etiam faciunt, quod neque validè contrahi queat, & contractum non subsistat, sed dirimat Matrimonium. Impedimenta impedientia olim plura fuere, sequentibus versiculis comprehensa:

Ecclesiæ Veitium, nec non tempus feriatum, Atque Catholismus, Crimen, Sponsalia, Votum Impediunt fieri, permititur juncta teneri.

ubi per *Catechismum* intelligebatur quedam cognatio spiritalis imperfecta, arg. c. *Contracta, de Cognat. Spirit.* & c. *Per Catechismum eod.* in 6. Per *Crimen* verò intelligebantur varia enormia, quorum aliquod, si quis commisit, nubere alteri licitè amplius non potuit. Quæ Crimina Glossa in c. 2. de *Pœnitentiis*. & *Remiss.* comprehendit illis versiculis.

Incestus, Raptus sponsarum: Mors mulieris: Susceptus propria sobolis. Mors presbyteralis: Vel si pœnitentia solemniter: aut Monialium Accipiat: prohibent hæc Conjugium sociandum.

352 Verum quia impedimentum Catechismi hodie sublatum est per Concilium Tridentinum Sess. 24. de *Reformat.* cap. 2. ut notat Sanchez lib. 7. *Disp.* 10. n. 12. Crimen autem Impedimentum impedientia per longævam consuetudinem ita habeantur abrogata, ut non amplius sint in usu, hinc quatuor tantum hodie adhuc vigent Impedimenta impedientia sequenti versiculo comprehensa:

Sacratum tempus, Veitium, Sponsalia, Votum.

De quorum duobus prioribus agemus Tit. XVI. De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ. De Tertio, Sponsalibus nempe, quod Matrimonium cum alia quam sponsa impediatur, jam diximus supra demonstrando, ea sub gravi culpa obligare, consequenter facere, quod cum alia Matrimonium licitè contrahi non valeat. De quarto, scilicet Voto, partim jam diximus supra à n. 223. partim dicemus Tit. VI. Qui Clerici vel voventes.

Impedimenta dirimentia hodie sunt quatuordecim, quia duodecim Jure antiquo statutis duo adhuc, videlicet *Absentiam* Parochi cum duobus testibus: & *Raptum* addidit Concilium Tridentinum, ut suo loco videbimus. Comprehenduntur autem omnia sequentibus Versiculis à D. Thoma, & Scotto adductis:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas, Si sit affinis: si forte coire n. quibus: Si Parochi, aut duplicis desit presentia testis: Raptusque sit mulier, nec pari reddita tuta: Hæc socianda vesant conubia: facta retrahant:

Addunt etiam aliqui *Ætatem*: Verum quia Impedimentum *Ætatis* commodè reducitur ad Impedimentum *Impotentie*, à Versiculis à D. Thoma, & Scotto relatis, non discendum.

Porro de singulis his Impedimentis partim jam egimus, partim in subsequenibus agemus. Et quidem de Impedimento *Erroris* egimus præced. §. à num. 342. De Impedimento *Conditionis* agemus Tit. IX. De Conjugio servorum. De impedimento *Voti* partim jam egimus à numer. 223. partim agemus Tit. VI. Qui Clerici, vel voventes. De Impedimento *Cognationis* sermo erit Tit. X. XI. XII. & XIII. ubi de variis Cognationibus agitur. De Impedimento *Criminis*, Tit. VII. De Impedimento *Cultus disparitatis* discutimus infra num. 325. De Impedimento *Vis*, per quod intelligitur metus gravis, actum est §. præced. à num. 325. De Impedimento *Ordinis* questio jam fuit supra à num. 228. & adhuc erit infra Tit. VI. De Impedimento *Ligaminis* dicetur Tit. XXI. De secundis Nuptiis. De Impedimento *Honestatis publicæ*, agemus Tit. IV. De Sponsa duorum. Impedimentum *Affinitatis* discutitur Tit. XIV. De Consanguinitate & Affinitate. Impedimentum *Impotentie*, Tit. XV. De Trigidis, & Malfoiciatis. Impedimentum *Clandestinitatis*, Tit. III. De *Clandestina Desponsatione*. Et tandem Impedimentum *Raptus* examinabitur §. præsentis à n. 372. & seq.

Queritur itaque I. Quid sit, & quomodo Matrimonium dirimat Impedimentum *disparitatis Cultus*? Resp. Est illud, quod oritur ex disparitate in Fide, aut Religione inter fidelem & infidelem, seu inter baptizatum, & non baptizatum: cuiusmodi sunt Judæi, Turcæ, Gentiles; cum horum enim nullo Matrimonium validè contrahere potest Fidelis baptizatus, eò quod obitet Impedimentum *disparitatis Cultus*, puta, in Religione Matrimonium Jure Ecclesiastico dirimens. Communis & hodie certa, praxique Ecclesiæ confirmata, arg. can. *Cave*. 15. cau. 28. q. 1. & totà ferè illà questione.

Inferitur fidelem, id est, baptizatum nec licitè, nec validè posse contrahere Matrimonium cum non baptizato, Judæo v. g. Turca, vel Gentili, siæ dispensatione Papæ: hunc enim dispensare posse, inde patet, quod juxta communem DD. solo Jure Ecclesiastico hoc Impedimentum introductum habeatur. Quid Juris autem de Matrimonio Infidelium inter se, & casu, quo unus eorum convertatur ad Fidem, dictum est Lib. III. Tit. XXXIII.

Queritur II. An prælatum Impedimentum involvat etiam hæreticos? seu an validè, vel saltem licitè

licitè contrahere Matrimonium possit Catholicus cum hæretico. Resp. I. Memoratum Impedimentum dirimens non se extendit ad hæreticos: adeoque Matrimonium Catholicum cum hæretico debet, ac ritu Catholico contractum valet. Bosco de *Impedim. Matrim.* Disp. 12. sect. 11. concl. 3. Sanchez lib. 7. Disp. 72. num. 2. Doctor Angelicus, & Seraphicus in 4. dist. 39. q. 1. a. 1. Abbas in c. fin. de *Condit. Apof.* n. 5. & ibi Joan. Andreas n. 8. Cardinalis n. 3. Navarrus *Manual.* cap. 22. n. 49 cum communissima, & hodie certà autorum, arg. c. *Decrevit. de Hæretic.* in 6. ubi supponitur Matrimonium Catholicum cum hæretico valere, eò quod ibidem mulieres scienter nubentes hæreticis solummodo priventur Dote, minimè autem jubeantur separari à viro hæretico. Accedit universalis praxis & consuetudo Ecclesiæ, hujusmodi Matrimonia pro validis agnoscens, & sustinens; quamvis ea prohibeat, uti dicitur infra num. 360.

358 Obijciunt Advertiser ex Concilio Generali in Trullo, ubi can. 72. expressè irritum declaratur Matrimonium Catholicum cum hæretico, illis verbis: *Non licere Orthodoxum cum hæretico conjugii, nec Orthodoxam cum hæretico: sed etsi quid ejusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.* Accedit quod can. *Cave*. 15. cau. 28. q. 1. eodem modo, & ob eadem rationes prohibetur Matrimonium cum infideli, ac cum hæretico, ibi: *Cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere, cavè, inquam, Gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam. & omnem alienam à fide tua uxorem accersis tibi: Prima conjugii fides Castitatis gratia est.* ergo si ex hoc textu probatur Matrimonium Catholicum cum infideli esse nullum; etiam nullum erit cum hæretico. Resp. Canonem 72. & nonnullos alios in Trullo editos, vel non esse authenticos, utpote non à memorato Concilio, sed eo jam dissoluto, ab aliquibus Episcopis editos, & à Sergio tunc Papa reprobatos, uti cum aliis late ostendit Barbosa in can. *Sextam*. §. dist. 16. n. 3. & 4. vel, si authentici sunt, & consequenter vi illorum Matrimonia Catholicorum cum hæreticis irrita forent, prout cum aliis non improbabiler ostendit Pontius in appendice de *Matrimonio Catholicum cum hæretico*, cap. 1. eumque in nullis defendit Bosco lo. cit. Tamen per consuetudinem universalem Canon ille jam prædictus fuit abrogatus, ita ut hodie saltem vi consuetudinis Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ritu Catholico contracta valeant, arg. c. fin. de *Constitut.*

Pariter responderi potest ad can. *Cave*, videlicet, quod quoad illam partem, quæ fortè etiam Matrimonia Catholicorum cum hæreticis annullat, sit per consuetudinem Ecclesiæ abrogatus, reliquâ dispositione Matrimonia cum infidelibus annullante, remanente in suo valore, & per consuetudinem roboratà: Idque merito ob rationis disparitatem: cum Matrimonium cum infideli non esset Sacramentum, & longè major sit disparitas Cultus cum infideli quam hæretico, Sanchez loc. cit. n. 7.

359 Dicitur autem notanter *Matrimonium ritu Catholico contractum*: quid Juris enim de Matrimonio Catholicum cum hæretico, aut hæreticorum inter se, ritum hæretico contractis, dicemus Tit. III. de *Clandestina Desponsat.*

360 Resp. II. Quamvis Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ritu Catholico contracta fiat valida, tamen Jure Ecclesiastico sunt illicita & peccaminosa, adeoque sine peccato contrahi, aut permitti nequeunt, nisi Papa dispenset. Est unanimitas tam Theologorum, quam Canonistarum ob clara Jura, hujusmodi Matrimonia expressè & graviter

prohibitiva, uti patet ex Concilio *Agath. relato. can. Non oportet*. 16. cau. 28. q. 1. ibi: *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere conubia.* Concilio Illiberitano, can. 16. ibi: *Catholicas puellas neque hæreticis dari placuit.* & can. *Cave*. 15. cau. 21. q. 1. ibi: *Cave, Christiane, hæreticam uxorem accersas tibi.* Concordant Concilium Laodicense can. 10. Carthaginense III. can. 12. Chalcedonense can. 14. juncto c. *Decrevit*. 14. de *Hæretic.* ubi mulieres hæretico nubentes in remam peccati privantur Dote. Ratio harum prohibitionum allegari potest; quia plerumque & ordinariè varia scandala damna, & pericula spiritalia ex tali Matrimonio emergunt, vel ipsi conjugii Catholici, vel saltem liberis inde natis, uti bene observat Layman lib. 5. tr. 10. p. 4. cap. 14. n. 2. & misera docet experientia in partibus Germaniæ.

Inferitur cum Laymano lo. cit. citante communem, Sanchez lib. 7. *Disp.* 72. n. 5. Sa, & *Matrimonium*, Gutierrez de *Matrim.* cap. 104. n. 6. Ledesma de *Matrim.* q. 59. a. n. 1. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 1. n. 118. Gobath. Tr. 9. casu 11. n. 216. testante de omnibus Orthodoxis, Perez de *Matrim.* Disp. 36. sect. 2. num. 2. pariter omnes allegant. Peccare mortaliter Catholicum, aut Catholicam, si cum hæretico Matrimonium contrahat, quia in re gravi agit contra justissima Ecclsiæ præcepta.

Nec excusat, quod communitè opponant, apud me non est periculum perverſionis, aut alterius peccati, etsi cum hæretico contraham. Nam contra est: tum quia hoc ordinariè falsum est, cum teste experientia etiam illi, qui optima habentur proposita, magna passi sunt pericula tam perverſionis, quam aliorum peccatorum, præsertim contra Præcepta Ecclesiastica, jejuniandi, audiendi Missam &c. Tum quia, ubi adeo peccandi periculum non tantum Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino illicitum est, contrahere cum hæretico, uti notant communiter DD. Hinc, licet absit tale periculum, & coniequer Jure Divino non sit prohibitum, manet adhuc Lex Ecclesiastica graviter obligans, præsertim cum cessante causâ & ratione Legis in particulari non cesset Lex, uti patet ex dictis Lib. I. Tit. II. de *Constitut.*

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo hæreticus promittit, quod velit fidem Catholicam amplecti. Layman lo. cit. num. 2. Sa lo. cit. num. 3. Bosco lo. cit. n. 134. Pontius lo. cit. cap. 3. n. 1. dicens, id apud omnes dubitatione carere, Hurtado *Disp.* 76. §. 29. & alii; quia Jura ipsa hunc casum expressè eximunt, can. *Non oportet*. 26. cau. 28. q. 1. ibi: *Si se prostiterit futuris Christianis & Catholicis, & Concilium Nicen. c. 53. Modò ad fidem veniat, atque Chalcedonense can. 14. ibi: Nisi forte promittat, ad Orthodoxam fidem se per persona Orthodoxæ copulam transferre. Et merito, quia in tali casu cessat omne periculum perverſionis, & alterius peccati, simulque fit lucrum alterius anime.*

Huc tamen limitationi bene addit Layman lo. cit. *Si juxta causâ subsit, ut nuptiæ Absolutioni ab hæresi anteponantur*, quia, si hæreticus absque ulla causâ conversionem suam differt, & prius post Matrimonium professionem fidei edere velit, quam defectu statim, & absque omni oblatulo præstare possit, fallacem potius, quam seriam videtur habere mentem. Secus est, si ob justam causam, eamque gravem, negotium differt, puta, quia, si innovaret, privaretur pingui hereditate, aut aliud præjudicium, vel danum grave incurreret, aut injustè impediretur Matrimonium &c. Quamvis etiam in tali casu absque ullius præjudicii periculo, conversio præmitti bene possit; si nempe prius sub secreto gravi, in manus Ordinarium aut

E 4 Parochi

Parochi in occulto emitteret professionem fidei, ac reciperet absolutionem ab hæresi, prout non ita pridem consultum fuit in simili causa circa Personas quasdam Eminentes.

365 Porro debet esse vera promissio, & non sufficit sola spes, ut cum aliis contra nonnullos bene observat Bosco lo. cit. n. 136. quia Lex Ecclesiastica solum excipit casum, si hæreticus verè promittit conversionem; ergo sola spes non sufficit; cum exceptio firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. l. In iis, que ff. de Legib.

366 Limitant Conclusionem secundò Sanchez lo. cit. n. 5. & Azorius lib. 8. cap. 11. q. 5. in locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti impunè vivunt, uti (ajunt) in Germania, Gallia, Polonia: his enim in locis (inquunt) ex consuetudine recepta & toleratà etiam licitè contrahunt Matrimonium Catholici cum hæreticis; dummodò Catholica in fide liberè vivere permittatur, & omne abist perverfionis & scandalum periculum. Ratio est; quia absente omni perverfionis & scandalum periculo Matrimonium Catholicum inter & hæreticum solo Jure humano Ecclesiastico est prohibutum, juxta communem, huic autem Juri derogat consuetudo legitime præscripta, c. fin. de Consuetud. ergo accedit, quòd consuetudo hæc ferviat pro communi pace, & tranquillitate Reipublicæ conservanda.

367 Verùm quamvis limitatio hæc ob rationem allegatam Theoricè satis videatur probabilis, in praxi tamen ordinariè non habet locum, eò quòd conditio apposita, dummodò in fide Catholica liberè vivere permittatur, & omne abist periculum perverfionis aut scandalum, vix unquam verificetur, sed contrarium ordinariè eveniat, etiam in locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti ac stabiliter habitant; cum teste experientia conjuges Catholici ab hæreticis plerumque vel pervertantur, vel ad plura peccata contra Ecclesiæ Præcepta inducantur, vel iniqua prolium educatio contingat, que cuncta factenibus ipsis Adversariis contra Jus Divinum, & naturale militat. Hinc limitationem hanc in praxi meritò rejiciunt Bosco lo. cit. Sporer lo. cit. Gobath. lo. cit. n. 219. advertens Sanchezium, & Azorium circa mores Germanorum minis fuisse expertos, Layman lo. cit. Valentia, Tanner, Coninek, Serar, Bellarminus, & alii.

368 Atque his Doctõibus contra Sanchez in praxi omninò adherendum est, & quidem præter rationem jam allatam, principaliter etiam ex hoc capite, videlicet, quia ordinariè (saltem in Germania) in cunctis locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti viventes Matrimonia contrahunt, tacitum, vel expressum adjuncum habent pactum, vi cujus proles mascula educari debet in secta falsa mariti hæretici, ita quidem, ut mater in educatione circa punctum Religionis se immiscere nullatenus possit; foemellæ tandem in Religione matris Catholice educari valeant, aut econtrà, quòd pactum iniquissimum, & contra Jus Divinum esse patebit ex dicendis infra num. 371.

Hinc ordinariè loquendo, hujusmodi Matrimonia etiam in locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt, illicita sunt, eisque pro viribus semper resistendum est, donec evidenter ostendatur, in casu particulari cessare omne tum perverfionis, tum alterius scandalum periculum, quod vel nunquam, vel saltem rarissimè ostendi poterit; cum ordinariè occurrat vel periculum perverfionis contra Legem Divinam fidei, vel periculum malæ educationis prolium contra Legem itidem Divinam pietatis, vel periculum discordiarum aut scandalum tam respectu Conjugis Catholici, quam aliorum contra Legem rursus Divinam charitatis erga

seipsum, & proximum, uti bene observat Bosco lo. cit. n. 118.

Illud etiam notandum, quòd, etfi dato non concessio, sententia Sanchez, & Azorii in uno alterove casu particulari procederet, locum tamen minime haberet in illis locis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis aut Pagis Germaniæ, Galliæ, aut Poloniæ, in quibus hæretici cum Catholicis permixti constanter habitare non permittuntur, cujusmodi loca in quovis ex his regnis reperiuntur, inter quæ est purissima in fide Catholica Bavaria nostra, ut proin, licet aliquibus Germaniæ locis, v. g. ditione Sulzbacensi, Civitate Weidenfi, Civitate Augustana &c. ob permixtam Catholicorum cum hæreticis cohabitationem, cessante omni periculo perverfionis & scandalum licitum in casu particulari vi consuetudinis foret Matrimonium Catholici cum hæretica, tamen semper illicitum esset in Bavaria; eò quòd non deur communicatio consuetudinis, uti & privilegiorum, nec licet aut valet aliquid vi consuetudinis in hoc loco, ex eo, quòd consuetudo hujus viget in alio loco, juxta lib. I. Tit. IV. de Consuetud. n. 160. & 161.

Cæterum ad Quæsitum principale numer. 357. 371 positum Resp. III. Matrimonium Catholicum cum parte hæretica in initum expresso hoc, aut tacito pacto, vel conditione; ut vel omnes, vel aliquæ proles v. g. masculæ educentur in secta hæretica patris, foemellæ autem in vera Religione Catholica matris, semper & ubique illicitum, iniquissimum, & graviter peccaminosum, tam contra Jus Ecclesiasticum, quam Divinum est. Bosco lo. cit. Perez lo. cit. num. 6. Sporer lo. cit. n. 120. Navarrus lib. 1. Confil. 1. q. 25. n. 63. Dicastill. Disp. 7. n. 705. Layman. lo. cit. num. 3. dicens, id apud omnes in confesso esse. Et quidem quòd fit contra Jus Ecclesiasticum patet ex c. fin. de Conversion. infidel. & concordant Jura supra numer. 360. allegata. Quòd autem fit contra Jus Divinum inde constat, quia juxta omnes Theologos quivis parentum de Jure Divino ex pietate teneretur curare, ut proles in vera fide educetur, & acquirat necessaria media ad salutem, ergo Matrimonium inire non potest cum tacito, vel expresso pacto, aut conditione obligationis contraria, omnes videlicet, vel aliquam prolem negligendi in hac educatione, ac permittendi, ut in damnabili secta educetur.

Nec quidquam in contrarium evincunt consuetudines etiam immemorales in pluribus locis palam existentes, & toleratæ. Nam contra est, quòd hæc pacta sint etiam contra Jus Divinum, contra quòd consuetudo etiam immemoralis penitus nihil operatur, textu expresso c. fin. de Consuetud.

Et ex his colliges, quandam licet Catholico contrahere Matrimonium cum hæretica, & quando non. Licet namque semper I. Quotiescunque hæreticus seriò promittit, quòd post contractum Matrimonium veram fidem amplecti velit, si juxta subist causa professionem fidei, & absolutionem ab hæresi differendi, usque ad Matrimonium contractum ubivis locorum, etiam si hæretici cum Catholicis permixti non maneant, juxta dicta numer. 363.

Licet II. Vi consuetudinis in locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti habitant, si reverà abest omne periculum perverfionis, & scandalum, juxta dicta numer. 366. & seqq.

Econtrà illicitum est semper & ubique I. Quando injur cum tacito vel expresso pacto omnem, vel aliquam prolem educandi in secta hæretica, juxta dicta numer. 371. Et quia in illis partibus Germaniæ, in quibus hæretici cum Catholicis permixti habitant,

habitant, cum præfato tacito vel expresso pacto ordinariè contrahitur, ordinariè ibidem est illicitum per dicta numer. 368.

Illicitum est semper II. in locis, in quibus hæretici cum Catholicis permixti non habitant, etfi contrahatur sine præfato iniquo pacto, & abist omne periculum perverfionis & scandalum, juxta dicta n. 362.

Illicitum est III. semper & ubique, etiam in locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt, quandoque adest periculum perverfionis vel scandalum, five ratione ipsius conjugis Catholici, five ratione prolium.

Et quia ordinariè in quovis Matrimonio Catholici cum hæretico adest vel iniquum tacitum vel expressum pactum, aut periculum perverfionis, aut periculum scandalum, & ruinæ alicujus spiritualis, five ex propria conjugis aut prolium, aut aliorum parte, ordinariè quovis in loco illicitum est Matrimonium Catholicum cum hæretica, nisi seriò promittat, quòd post contractum Matrimonium veram velit amplecti fidem per dicta n. 363. & seqq.

Plura de Impedimento disparis Cultus vide specialiter apud Bosco, qui sicut totam materiam Matrimonii per plures Tomos Theologicè & Juridicè insigniter pertractat, sic integrum Tomum de solis Impedimentis egregium exhibet.

372 Queritur III. Quid sit, & in quo consistat Impedimentum Raptus? Ante responsum notandum, hoc Impedimentum esse à Concilio Tridentino S. ff. 24. de Reform. Matrim. cap. 6. sequentibus verbis statutum: Decernit S. Synodus inter raptorem & raptam, & quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere Matrimonium, quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint Jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque Dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, five in uxorem duxerit, five non, deceter arbitrio Judicis dotare.

373 Resp. I. Raptus, in quantum dirimit Matrimonium, est violenta abductio foemine in ordine ad contrahendum Matrimonium. Est in re communis. Explicatur Definitio, & ostenditur, plures ad verum raptum in ordine ad præsens requiri condiciones. Dicitur I. Violenta abductio, ut indicetur ad Raptum requiri aliquam violentiam, vel physicam per violentam manuum injectionem, vel moralem, per minas aut gravem metum: si enim puella volens vel consentiens, etfi incisus parentibus abducatur, Raptus non erit, uti bene observat Navarrus lib. 5. Confil. 3. n. 1. de Rapt. Sanchez lib. 7. Disp. 12. n. 36. Layman lo. cit. n. 2. cum communi, quia Raptus, & Rapina aliquam violentiam continent, arg. c. Cum causam. 6. de Raptor. ubi Summarium sic habet: Raptus non dicitur, ubi volens pro Matrimonio abducitur. Unde ibidem etiam statuitur, nullum esse impedimentum ex hoc, quòd parentes inviti sint, & reclamant, si præcedente tractatu de Matrimonio puella consentiens abducatur.

374 Porro debet violentia inferri ipsi foemine; nec sufficit, si solis inferatur parentibus aut tutoribus, aut ipsi invitis consentiens abducatur puella. Sanchez lo. cit. Disp. 13. n. 13. Perez Disp. 38. sect. 4. Hurtado, & alii contra Navarrum lib. 5. Confil. 2. n. 1. de Rapt. & plures alios à Sanchez citatos. Ratio est: tum quia Odià sunt restringenda, c. Odià de Reg. Jur. in 6. Tum quia Decretum Tridentini præsciscit intendit cavere, ne lædatur libertas Matrimonii; quæ utique non læditur, si puella liberè consen-

tens abducatur, etfi vim aut violentiam patiantur parentes, vel inviri reclamant: cum libertas puellæ nubere volentis non dependeat à voluntate parentum, inò si ab ipsis dependeret, hoc ipso jam minor, & non plena foret.

Dicitur II. Femina, ad indicandum sufficere ad Raptum, quæcumque sit foemina: five virgo, five corrupta, five meretrix, five honesta, five vidua, five conjugata sit. Bosco de Impedim. Matrim. Disp. 12. sect. 9. Concl. 4. Sanchez lib. 7. Disp. 13. n. 14. & alii. Ratio est; quia Concilium Tridentinum Sess. 21. de Reform. Matrim. cap. 6. universaliter ac indistinctè de rapta loquitur: ergo indistinctè erit intelligendum, cum, ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, l. De pretio, ff. de Public. in rem ad. & verba generalia generaliter sint intelligenda, c. Quia circa 22. de Privileg. præsertim ubi est eadem ratio, arg. l. Id. d. ff. de Legib. uti in præfatis res se habet. Ratio enim, ob quam Concilium Tridentinum ita statuit Impedimentum Raptus, est ut salva semper maneret libertas Matrimonii; quæ libertate non minùs gaudere debet corrupta aut meretrix, vel vidua, quàm virgo, aut honesta; cum quævis æquale sibi ipsi imponat onus.

Dicitur etiam præterea femina: ad indicandum quòd hujus solus, & non viri violenta abductio constituit Raptus impedimentum à Concilio Tridentino introductum; ut proin si foemina rapti virum, & hic postea, etfi adhuc in potestate rapientis foemine raptus constitutus consentiat, validum inter eos fit Matrimonium. Sanchez lib. 7. Disp. 12. n. 16. Perez lo. cit. n. 1. Pontius cap. 69. n. 6. Bosco lo. cit. Concl. 3. a. n. 8. Herinx de Impedimento Raptus. Disp. 6. n. 80. & ipso teste communior aliorum contra Gutierrez de Matrim. c. 88. n. 6. & alios. Ratio est; quia Decretum Tridentini cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 6. de solo viro Raptore verba facit ibi: Quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, & statim postea, quòd si Raptor &c. Item. Et nihilominus Raptor. Et merito, quia cum Leges condi solent de casibus, natis occurrere, rarissimè autem foemina rapti virum, rectè de solis Raptoribus statutum censetur Impedimentum Raptus. Accedit, quòd finis in odiofis, & correctoriis antiqui Juris, consequenter restringere potius quàm ampliare debemus, arg. c. Odià de Reg. Jur. in 6. & c. 28. eod.

Dicitur III. in Conclusionem, In ordine ad contrahendum Matrimonium; quia si non Matrimonii, sed libidinis, vel alterius rei causà fiat violenta abductio foemine, impedimentum Raptus non erit. Sanchez lo. cit. n. 4. Bosco lo. cit. a. n. 86. Sporer lo. cit. n. 29. Perez lo. cit. n. 3. & alii contra Sà, & Matrimonium, & nonnullos alios. Ratio est; quia Concilium Tridentinum lo. cit. præsciscit intendit libertati Matrimonii consulere, prout constat ex textu & Rubrica Sessionis quæ est de Reform. Matrim. ergo intelligendum venit de solo Raptu causà Matrimonii factò: Præsertim quia, quando textus est dubius, intelligi debet, ut conveniat Rubricæ: & valet argumentum à Rubro ad Nigrum, id est, à Rubrica ad textum, prout amplius dictum in Procemio §. 6. a. n. 96. Et hinc plures DD. limitant c. 1. de Clerico non ordin. Minist. quòd non extendatur ad Laicum exercentem Ordinem, quia Rubrica est de Clerico. Accedit, quòd finis in Odiofis, & Juris correctoriis, consequenter restringere magis, quàm ampliare debeamus, cit. c. Odià, & c. 28. de Reg. Jur. in 6.

Resp. II. Impedimentum Raptus inter raptorem & raptam viget, etiam si rapta post Raptum liberè consentiat; si adhuc est in potestate raptoris; secùs, si ab eo separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit. Com-

Communis ac certa ob claram dispositionem Concilii Tridentini cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 6.

379 De Pœnis Raptus causa Matrimonii facti, vide textum Concilii Tridentini supra nu. 372. adducti. De Raptu prout est species luxurie, graveque crimen, & de pœnis ejus tam Jure Canonico, quam Civili statutis, exactè dicitur Lib. V. Tit. de Raptor.

380 Queritur IV. Quis, & quando in Impedimentis Matrimonii dispensare possit, ac soleat? Item quid in praxi observandum pro obtinenda Dispensatione? Resp. ad Quæsitum patebit infra in fine hujus Lib. IV. ubi Appendicem habet practicam de Dispensatione super Impedimentis Matrimonii.

381 Et quia sæpe contingit, quod Conjuges Matrimonium ob Impedimentum dirimens nulliter contractantes sine scandalo, diffamatione, aut alio gravi præjudicio, vel periculo separari amplius nequeant, consequenter Matrimonium nulliter contractum ratificare, & validare, seu de novo validè contrahere debeant, subjungitur ibidem instructio practica, quomodo obtentâ Dispensatione Matrimonium nulliter contractum ratificare, seu revalidare possint ac debeant. Quam utramque Materiam de Dispensatione nempe, ac de Revalidatione Matrimonii idè ad finem differre placuit, ut prius per decursum hujus Libri IV. integrâ materiâ de Matrimonio, & Impedimentisejus explicatâ, Dispensatio, & Revalidatio pro quovis casu facilius capiatur.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

SUMMARIUM

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Puberes, & impuberes qui?
- 3 Ad Sponsalia requiritur & sufficit Septennium.
- 4 Nisi malitia suppleat ætatem. Et quid hoc?
- 5 Est loco liberorum contrahant parentes.
- 6 Ad valorem Matrimonii requiritur pubertatis ætas.
- 7 Valet contractum ab habente illam, etsi nondum gaudeat potentia generandi.
- 8 Fœmine cur citius pubescant quàm viri?
- 9 In d. valet contractum ab impubere, in quo malitia supplet ætatem.
- Plures impuberes genuerunt. Ibid.
- 10 Ætas pubertatis solo Jure humano ad Matrimonium requiritur, unde in eo dispensare potest Papa.
- 11 In d. etiam Episcopus ex urgentissima causa. Dispensatio in textu quando permittitur, & non determinatur, cui, censetur concessa Episcopo. Ibid.
- 12 Tempus ad valorem Sponsalium & Matrimonium requisitum debet esse completum de momento in momentum.
- 13 Solvitur instantia.
- 14 Impubes Sponsalia contrahens non potest ab illis resistere ante pubertatem, bene verò post illam.
- 15 Nisi Sponsalia tempore impubertatis contracta, pubes ratificet: Et quomodo?
- 16 Sponsalia impuberum etiam juramento firmata solvi possunt post adeptam pubertatem.
- 17 Solvitur instantia ex c. 10. de Sponsal.
- 18 Matrimonium ab impuberibus nulliter contractum valet in vim Sponsalium.
- 19 Nisi contrahentes contra hæc expressè protestarentur.

P Ostruam Tit. præced. actum est de Sponsalibus & Matrimonio in genere. Compiler Juris Canonici recto ordine pergit ad Sponsalia, & Matrimonium in specie, & quidem in præsentî Titulo

ad illa, quæ impuberes inter sese, aut cum puberibus contrahunt. Ubi præcipue agitur de Ætate requisita ad Sponsalia & Matrimonium. Et quoniam præiens Titulus multa non continet, in Paragraphos eum non dividimus.

Notandum prius. Impuberes esse & dici illas personas, quæ nondum attingerunt annos à Jure ad pubertatem requisitos. Requiritur autem ad pubertatem in fœmellis 12. anni completi, in masculis autem 14. l. fin. C. Quando Tutores esse desinant. ibi: Subemus, quemadmodum fœmine post impletos 12. annos omnimodò pubescere judicentur. ita & mares post excessum 14. annorum puberes existimantur. H. N.

Queritur I. Quæ Ætas requiratur tam ad Sponsalia, quàm ad Matrimonium? Resp. I. Ad valorem Sponsalium tam in fœmina, quàm masculo requiritur & sufficit septennium completum. Communis ac certa, arg. c. Litteras. 4. c. Accessit. 5. & c. Ad dissolvendum. 13. h. t. ubi clarè habetur, Sponsalia ante septennium completum esse nulla ex defectu consensûs, nullumque exinde oriri impedimentum publicæ honestatis nisi septennid completò ea ratificent. Concordat l. In Sponsalibus. 14. ff. de Sponsalib. & c. un. h. t. in 6. ibi: Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, Sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem mutuum, seu aliâ verbò vel factò ipsorum liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septenniò perdurare; Sponsalia ejusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum temporis, minimè convalescunt, & idè cum sine nulla, ratione defectûs consensûs, publicæ honestatis justitiam non inducunt. Ratio est; quia ad Sponsalia requiritur & sufficit usus rationis, qui septenniè completò ordinariè adest, & adesse præsumitur, arg. cit. l. In Sponsalib. 14. ff. de Sponsalib. & l. Si infans. §. fin. C. de Jure delib. ranti.

Dicitur autem notanter in Conclusione ordinariè; quia, si, uti extraordinariè contingere potest, malitia, seu potius prudentia, suppleat ætatem, indeque ante septennium jam quis veniat ad usum rationis, etiam tunc valet Sponsalia. Sanchez lib. 1. Disp. 16. n. 9. Covarruvias p. 1. de Sponsal. cap. 2. n. 1. Joan. Andreas in c. Juvenis. de Sponsal. n. 9. Sylvester p. Sponsalia. q. 2. dicit. 2. cum communiori aliorum contra Panoritanum in cit. c. Juvenis. De sponsal. n. 5. Castro Palao Tract. 28. Disp. 1. punc. 6. n. 8. & alios, arg. cit. c. Juvenis. 3. de Sponsalib. ubi habetur, ex Sponsalibus à Minore septenniò contractis ortum esse impedimentum publicæ honestatis; consequenter valida fuisse; cum hoc non nisi ex validis oriatur Sponsalibus, tam de Jure antiquo, arg. c. un. de Sponsalibus, in 6. & ibi Barbosa n. 4. quàm novo Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3. si autem valida fuerunt, aliâ ratione id contingere non potuit, quàm quia malitia supplebat ætatem; uti bene advertit Glossa in cit. c. Juvenis. v. Dubia, ad finem. Nec obstant Jura n. 3. citata, septennium generaliter requirunt. Nam contra est quòd Jura idè tantùm requirant septennium, quia ante illud tempus ordinariè non censetur adesse usus rationis, consequenter deficiente consensum necessariò requisitum, arg. c. un. h. t. in 6. ibi: Cum sint nulla ratione defectûs consensûs, ergo si malitia suppleat ætatem, & usus rationis, consequenter & consensum ante septennium adest, valet Sponsalia: sicut ob malitiam, ætatem supplementem, valet Matrimonium ante annos pubertatis contractum, textu expresso c. De illis. 9. h. t. licet aliàs Jura ad matrimonium annos pubertatis indistinctè ac generaliter requirant, juxta dicendam num. 6.

Resp. II. Sponsalia ante septennium unius, aut utriusque sunt invalida, etsi illa locò liberorum contracterint parentes, nisi liberi facti septenniò majores

ea ratificent, textus expressus est in c. un. h. t. in 6. quem habes supra n. 3. Nec obstat c. 1. h. t. ubi quòd filius, postquam pervenerit ad perfectam ætatem debeat adimplere, non tantùm Sponsalia, sed & Matrimonium à patre locò illius, ulum rationis nondum habentis contractum. Resp. enim cum Fagnano ibid. n. 7. & communi Canonistarum, hoc intelligendum esse, quòd filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non verò necessitatis.

6 Resp. III. Ad valorem Matrimonii tam de Jure Civili, quam Canonico requiruntur & sufficiunt anni pubertatis, duodecim nempe in fœminis, & quatuordecim in masculis, nisi malitia suppleat ætatem. Rursus Communis & certa, ob clara Jura, prin. Instit. de Nup. & l. 4. ff. de Actu Nup. c. Puberes. 3. c. Attestationes. 10. & c. fin. h. t. Ratio est; quia cum Matrimonii fœtis principalis sit prolis generatio, hæc autem sine potentia generandi, & carnaliter coeundi haberi nequeat, potentia verò ista ante dictam ætatem adesse ordinariè non possit per Jura citata, meriò eadem Jura Impedimentum dirimens Matrimonii statuerunt inter eos, qui præfata ætate non gaudent.

7 Si tamen per accidens contingeret, quòd etiam post pubertatis annos quis nondum statim sit potens ad generandum, valet Matrimonium. Engel h. t. n. 8. per Jura citata. Et ratio est; quia impotentia coeundi post pubertatem adhuc existens, non causat nullitatem Matrimonii, nisi fit perpetua, arg. c. Fraternalitatis. de Frigid.

8 Ceterùm cur fœmine citius pubescant, & potentiam coeundi ac generandi acquirant, quàm masculi, rationem reddit Philosophus: videlicet, quia fœminæ debiliores ac imperfectiores sunt, si cut enim artis, ita etiam naturæ opera, citius ad suam perfectionem citiusque ad finem ac interitum perveniunt, consequenter mulier propter debilitatem ac imperfectionem suam in pubertate, vigore, senectute, & obitu masculum prævenit.

9 Dicitur autem notanter, Nisi malitia suppleat ætatem, id est, nisi jam ante pubertatis annos habilis quis inveniatur ad generandum, quia hanc limitationem expressè ponunt Canones c. Puberes. 3. h. t. ubi in ordine ad contrahendum Matrimonium sufficienter pubes habetur, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest; etsi determinatos à Jure annos necdum habeat; uti adhuc claris deciditur c. De illis 9. eod. Et meriò; quia multa exempla habemus, quòd masculi in decimo ac undecimo, & fœmelle in decimo proles procreant: de quo vide Barbosam in c. Puberes. 3. h. t. n. 5. & Sanchez lib. 7. Disp. 104. n. 29.

10 Porrò ætas pubertatis n. 6. allegata, non Jure naturali, neque Divino, sed solo humano ad valorem Matrimonii requiritur; adeoque nec dirimens Impedimentum ex defectu ætatis puberis proveniens, Juris divini aut naturalis, sed puri homini Ecclesiastici est, consequenter in eo Papa justa de causa dispensare, ac dispensatione efficere potest, quòd etiam impuberes, usu tamen rationis præditi, Matrimonium validè contrahere queant, arg. c. 2. h. t. & ibi DD.

11 Imò docet ibidem Barbosa n. 5. posse etiam Episcopum ex urgentissima causa, præsertim publicâ, & pro bono communi pacis, v. g. dispensare, præcipue in casu, quo sunt propè annos puberes, & adit dubium, an non malitia suppleat ætatem. Idem docet Sanchez lib. 7. Disp. 104. n. 12. Bonacina de Matrim. q. 1. punc. 4. n. 13. & alii, arg. cit. 2. h. t. ubi, quòd Dispensatio fieri possit, deciditur, & faciendi nulli reservatur, atque hoc ipso Episcopis tacitè permittitur; quia universaliter quodcumque in aliquo textu permittitur Dispensatio, & non additur, cui, censetur concessa Episcopo, ut cum Communissima

aliorum latè probat Sanchez de Matrim. lib. 8. atque Barbosa de Offic. & potest. Episc. Alleg. 33. n. 17. De quo plura in Appendice.

Resp. IV. Tempus septenni Sponsaliorum & pubertatis ad Matrimonium valorem de Jure requisitum debet mathematicè, & de momento in momentum esse completum, in casu, quòd malitia non supplet ætatem. Pontius lib. 7. de Matrim. cap. 65. n. 1. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 6. n. 6. Perez de Matrim. Disp. 37. sect. 12. n. 4. Gonzalez in c. 2. Accessit. 5. h. t. n. 4. & alii contra Gattierez de Matrim. cap. 2. n. 7. Sanchez lib. 1. Disp. 16. n. 4. & lib. 7. Disp. 104. n. 1. & 2. Probat: quia Jura expressè requirunt annum completum: Et quidem ad Sponsalia, c. Litteras. 4. h. t. ibi: Antequam septimum annum compleisset; & c. Accessit. eod. ibi: Si puella septimum annum compleverat, juncto c. Ad visumendum, eod. Ad Matrimonium autem c. Ex literis h. t. ibi: Donec complet puer annum decimum quartum.

Nec dicas, hæc intelligi posse & debere in sensu 13 morali, ita, ut saltem dies cæpti habeatur pro completa, prout vult Sanchez arg. l. Quæ ætate. 5. ff. de Testam. ubi habetur, quòd possint licere Testamentum, & quantum ad hoc, dies cæpta habeatur pro completa. Resp. enim in casu, quo protractio temporis inducit & continet favorem; vel certa ætis præscribitur à Jure pro forma, debere tempus præscriptum esse completum de momento in momentum, prout latè probavimus Lib. III. Tit. XXXI. de Regul. d. n. 95. & seq. ubi propterea diximus, annos sexdecim, ad Professionem requisitos debere esse completos de momento in momentum; atqui in casu nostro præscribitur ætas à Jure, induciturque protractio ejusdem favore nubere volentibus, ut videlicet in tanto negotio libertate adhuc gaudere, consideratè agere, & de danno non amplius reparabili satis præcavere valeant: ergo.

Ad l. Quæ ætate ff. de Testam. respondetur, 14 negando paritatem; quia ibidem protractio temporis non esset favorabilis, sed odiosa Testatori. Accedit, quòd ibidem sit specialis dispositio Juris, consequenter ad alios casus non extendenda.

Queritur II. An, & quando impuberes Sponsalia contrahentes, ab istèd iterum resistere valeant? Resp. Impuberes majores septenniò non posse resistere ante pubertatem, bene verò post illam: Nec tenetur ille, qui primò fit pubes, alterum expectare, donec etiam pubescat, sed potest statim, ac pubescit pro libitu resistere: quòd, si pubes cum impubere contrahit Sponsalia, tunc pubes haud amplius resistere potest, bene verò in pubes, non quidem ante pubertatem, sed post illam adeptam. Communis ac certa, claris Juribus c. De illis 7. & c. A nobis. 8. h. t. junctâ Gloisâ ibid.

Limitatur Conclusio in casu, quò pubes factus Sponsalia ratihabet, quod per solam taciturnitatem fieri censetur, ita, ut si quis pubertatem adeptus, non illicò contradicit, & resistit, censetur ea ratificare, Engel h. t. n. 6. Ratio est; quia Sponsalia ab impubere contracta, non tunc primum obligare incipiunt, quando contrahens evadit pubes (prius enim jam valebant, ita ut etiam Impedimentum publicæ honestatis induxerint, c. 5. & 6. h. t.) Sed tantùm habent hoc Jure beneficium, quòd adepti pubertate dissolvi valeant. Hinc, si adeptus præfatum pubertatem, pro contraditionem, aut dissensionem ea non illicò dissolvit pubes, eadem ratihabere censetur, præsertim si Sponsi nomen adhuc patitur, aut familiaritatem continuat, vel munera dat, vel recipit. Dicitur autem statim reclamare, qui intra tri-duum reclamat, arg. l. fin. C. de Error. Advocat. ubi habetur: Illicò dicitur fieri, quòd intra tri-duum fit.

Resp. II. Sponsalia ab impubere contracta dissolvi